... Jacobus

Temberski Stanislai: Exanimis umbra
in exequiis Jacobi Najmanovicii

EXANIMIS VMBRA.

In Exequiis

Perillustris & Admodum Reuerendi Dñi,

IACOBI NAYMANOVICII

I.V. DOCTORIS, ac PROFESSORIS,
CANONICI CRACOVIEN:
Archidiaconi Pileceñ.

ET

In Alma Vniuersitate Cracouieñ.

GENERALIS RECTORIS.

A

M. STANISLAO TEMBERSKI,
Contubernij Philosophorum Seniore,

Inter communem mærorem

DELATA.

CRACOVIÆ.

Perillustribus & Adm. Rndis DD.

D. IOANNI SKARSZEWSKI
D. LVCÆ ZDROIOWSKI
D. ADAMO OPATOVIO

Ecclesiæ Cathedralis Cracouieñ. Canonicis, Vltimæ voluntatis Executoribus.

NEC NON

CLARISSIMO VIRO,

D. CHRISTOPHORO NAYMANOVICIO,

Medicinæ Doctori & Professori, Consuli Cracouieñ.

M. STANISLAVS TEMBERSKI. S. & P.

EXcidit è Corona Vestra gemma incomparabilis, Perillustres & Adm. Rndi. DD. cuius casum non modò Vniuersis Ordinibus Almæ Domus Iagellonicæ, sed & Amplissimo Areopago Vestrarum Reuerendarum Dominationum, acerbum accidisse reputo. Ereptus siquidem immortali vitâ Dignissimus Vir: qui ad consilia sua accedentibus, & Iurisdictionis Rectoralis vela subintrantibus, æquam præbuit mentem. Ereptus præcipiti impetu fati, intra exiguos dies, præter omnium spem. Horam enim vltimam (*teste D. Gregorio*) Dominus noster voluit esse nobis incognitam; vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad eam sine intermissione properemus. *Cuius animā vt Deus Opt. Max adnumerare Ciuibus cælestibus non dedignetur, indesinenter eum fatigare precibus sumus obligati. Quia verò hic Vir ob maximam distantiam iudicare nequit, rectè ne animus meus in perstringenda vitæ suæ lineâ processerit: Vestris Rndis. Dominationibus, vt pote Executoribus, hanc Exanimem Vmbrā animi ipsius, submissè dedico: habens in votis, vt Deus Opt: Max: Vestras Dominationes, & Peraugusto Capitulo; & Reipub. literariæ; quàm diutissimè incolumes foueat ac prosperet. Dat. è Contubernio Philosophorum, die S. Mansueti. Anno Dni. 1 6 [illegible] 1.*

Exanimis Vmbra.

QVem Ampliſsimum Eccleſiæ Cracouienſis Capitulum, ob vitæ integritatem, animi candorem, ſermonis prudentiam, magno cum ſolatio intuebatur; & Alma Academia, ob labores peruigiles, ſedulitatem prouidam, eruditionem præclaram, ſummo affectu venerabatur; cuius ad conſilium prudens, non tantùm Iuris Canonici aut Ciuilis per ætatem rudes Tyrones, ſed Regni quoque noſtri Viri graues, Magnifici Heroës agminatim confluebant; cui exporrecta & exhilarata fronte, in præmium virtutis non vulgares arridebant honores; qui Reipublicæ literariæ diſceptationes arduas, definire, ſopire, complanare, proſperis cum ſucceſsibus ſolebat: eum, Viri Humaniſsimi, improuiſo conditionis humanæ decreto circumſcribi, vel potiùs ineuitabili fato, à conſuetudine mortaliũ remoueri, Virum Eccleſiæ & Academiæ apprimè neceſſarium IACOBVM NAYMANOVICIVM nonne iuſtis lachrymis proſequemur? Quòd ingenti cùm dolore pijſsimè fieri video, cùm ad communis mæroris conteſtationem, pro quiete æterna ſpiritui ipſius imprecanda; non ſolùm Diui Venceſlai Cathedrales Præſides; ſed etiã Muſæi Iagellonici Cuſtodes, in frequenti coronâ commeâſſe cerno. Fateor; valde miſerum eſſe, ſingularem amicum ex arctiſsimo vinculo amicitiæ, in regiones longinquas euocari; miſeriùs eripi; miſerrimum orbari Viri inſignis dexteritate, candore, ſolatio, ope, decore, quæ

omnia Deus Opt: Max: pectori verè ad regimen Academicum efformato, IACOBI NAYMANOVICII, larga manu, impresserat & indiderat luculenter. Etenim hîc, qui animum cæli & terræ Principi reddens, defatigata corporis terreno principiorum genere confecti lineaméta reliquit, omnes suos neruos, non priuato, sed publico vsui dicabat; publicè pro Dei & Ecclesiæ honore, corde flagranti zelo Domus eius, decertabat; palàm mores, & durioris ceruicis animos humanos, metamorphosi cælitùs sibi tributa, ad regulas conformes viuendi reuocabat; publicè ambitionis & superbiæ semina, conculcabat; publicè amicorũ & inimicorum votis, prodesse studebat; publicè & Capitularibus nodosis negotijs, & Academicis immunitatibus, erecta mente attendebat. Sed dum ista glomo tenuis dictionis meæ inuoluo, mirabitur quispiã; quî ipse talia attingens, non verba singultibus commisceam; quùm Vos, quotquot ad parentalia soluenda & Collegæ, & Amico intimo concurristis, demissis oculis lachrymas hinc & inde cientibus, propter migrationem Familiaris Vestri eas in oras, quas, qui è vita pia excesserunt, felicissimè incolunt; obstupefactos & consternatos videam. Verùm enimuero cum hic sit communis & quotidianus euẽtus, leuandum aspectum vel potiùs luctum putarem; ad intuendam Viri Clarissimi laboriosam vitam, qua in Augustissima Diui Stanislai Sede, & Lyceo nostro Regali, tanquam Sydus micantissimum prælucebat.

Atq; vt inde elinguis dictio mea primordia sumat, vnde hic Professor Doctissimus meruit amplissima encomia: videre mihi videor, vniuersas cogitationes IACOBI

NAYMA-

NAYMANOVICII eò intentas fuiſſe, quò patrium ſolum, non exotica tantum, ſed & domeſtica ſtudia, ab Effectore vniuerſorum Deo amplificata; iter rectiſsimum, ſecundùm ſtatuta conformia vitæ honeſtioris traducendæ, monſtrabant, pandebant. Deligebat enim ille ſemper, eam viuendi rationẽ, & intra penetralia cordis diligentiùs examinabat, quam PietatisChriſtianæ eximij Oratores ad ſubſellia Eccleſiaſtica ſæpiùs intonabant. A cuius recto tramite, nec vnguem tranſuerſum diſcedendum putabat, toties ac toties ingeminando cum altis ſuſpirijs: Domine ordina vitam meam iuxta velle tuum. Et propterea immediatè ante euocationem è carcere mundi huius, diſcutiebat corde & voce libera, melos illud: Horrendum eſt incidere in manus Regis viuentis; cuius infimam creaturam ſe eſſe & reputabat, & proteſtabatur. Hinc ille in vita non precio, non gratia, non metu, non periculo, non ſimultate à ſuis continendis & alienis coercẽdis defectibus abducebatur, ſed conſtanti affectu pro honeſtatis ac virtutum limitibus quàm latiſsimè diducendis, diligenti curâ inſudabat atq; inuigilabat. Cùm autem partim auaritiam, partim iniuſtitiam, partim incontinentiam, cæteroſq; vitiorũ tumultus oriri, ſæpiùs ac ſuccreſcere exaudiebat, efficaciſsimis redargutionibus, iucundis monitis, grauiſſimis obteſtationibus, & domi & foris, tum quoq; in Exedris Eccleſiaſticis vtebatur: & talium reſignationem, mira vi dicendi audientibus perſuadebat; malebatq; experiri odia, angores, aſperitates, quàm officij ſui partem aliquam intermittere. Quia verò tam felix in perſuadendis intaminatæ vitæ regulis erat, conſequens eſt, eum ipſum intra

terminosChristianæ vocationis,& Sacerdotalis dignitatis (qua ille insigniri ætatis suæ anno XXXII solicitè curauit) magno cum exemplo aliorum, vitam suam traduxisse. Vos in testimonium voco, qui familiaritate eius vtebamini: an non detestabatur fucos ambitionis? an non fugiebat arrecti supercilij nota consignatam æmulationem? quorum alterum ex scientiarum ac rerum multiplicium copioso vsu; alterum ex rebus ad mentem fluentibus cōmuniter proficisci experimur. At ille æqua lance, & suos & extraneos ab ingenij fæcunditate collectos fructus librabat, metiebatur; æquam in rebus arduis, molestis, fastidiosis, seruauit mentem: æquo vultu vtramq; excipiebat fortunam. Ob eiusmodi verò æquilibrij rebus in agendis prudentem & ordinatam pensitationem, concordibus votis deferebat illi Academia nostra, Rectorale munus, quotidianis scatens difficultatibus: quod ille, cum acclamatione Ordinum suscipiens, interposita omni fidelitate & vigilantiâ, sedecies magno cum emolumento Vniuersitatis iucundissimè administrauerat. Non diffiteor eo in officio plurimos quosuis extitisse felices, nec ille vnquam extitit infelix: nisi hoc infelicitati foret adscribendum; quòd fatum extremum ad Sceptra Academica in vltima vitæ ipsius statione, Vniuersam Iurisdictionem ab eo repetijsset. O diem perpetuis luctibus complendam! quâ Inclyta Vniuersitas à tanto Viro derelicta est; qui admiranda ingenij fæcunditate pollebat, iudicio autem plusquàm humano cæteros superabat: vnde, ac si è promptuario variarum rerum abundantia refertissimo, cuilibet & promere, & vsibus suis applicare erat honorificum.

O tem-

O tempus iniquum! quod etiamſi duplicaſſet, aut triplicaſſet ætatem, non tamen ille diutina annorum computatione grauatus, ſed currenti atq; contracto tempore, breuiter nobiſcum commorari exiſtimaretur. O morbum peracutum! qui vix vno Critico die elabente Matris noſtræ Academiæ (permittatis Viri Humaniſsimi abſque omni notâ adulationis eloqui) Patrem exanimauit: qui autumnali ſuo furore, Lumen & Colum͂e Vniuerſitatis diſpulit, ſuſtulit, extinxit. Lumen & Columen inquam: ſiquidẽ illius dicendi grauiſsima facultate, tenebricoſi ſuſurrones, ac ſi radijs ſolaribus abigebantur, inſidiæ autem & technæ, magno cum omnium noſtrûm applauſu detegebantur. Appello Veſtram fidem Viri Humaniſsimi: qui Generaliſsimis Comitijs, ſub tempus Feliciſsimæ Coronationis Sereniſsimi Regis V L A D I S L A I I V. Academicarum libertatum Munificentiſsimi Confirmatoris, præſentes aderatis: an ille laborioſiſsima munia deſerebat? an incolumitatem Academicam ſaluti ſuæ poſtponebat? an non modis iuſtis inſtructiſsimos libertatis noſtræ oſores, libero & hilari ſermone emolliebat? demulcebat? ſopiebat? an non deniq́ue ſeipſum euiſceraſſet? pro integritate Ordinis Iagellonici, cuius bonum ad vltimam vitæ metam promouere intendebat. Ipſi parietes eo tempore, (dixero diſtinctiùs) ea horâ, qua, ad patriam illam cæleſtem incolendam euocabatur: cum lachrymas per naturam denegatas effingere non potuiſſent, ſtrepebant: quaſi lugentes, ob diſceſſum longinquum ſui Magiſtri, cuius præſentia, ſpiritu, voce, explicationibus Iurium nodoſorum replebantur, condecorabantur. Quod ſi libet hoc

in lo-

in loco, quoniam dignissima res est, nec aliena à proposito, Doctrinam eius, laboribus oppletam, leui penicillo adumbrare: existimo Athenas illud perantiquum Domicilium Musarum, non maiorem eruditionem continuisse; quantam hic Vir omni genere artium excultus, siue intra siue extra penates domesticos, siue ad Aras Sacras Diuorum, siue ad Professionum conuentus, varijs ingenijs, diuersis animis, instillabat. Eam ob causam ille Sapientum Magnes (Parisiensem Academiam à qua nostra profluxit intelligo) demirabatur huius Viri eruditum animum; quando non solummodò spinosas difficultates Philosophicas luce palàm aperiebat, sed quoque publicis disquisitionibus præmissis, publicum honorem, (Doctoratum scilicet in Philosophia,) apud gentem exteram, assecutus est. Ad quam honoris amplitudinem, Auunculi sui Dignissimi IOANNIS STEPHANSKI Canonici Sandomiriensis, ijs in oris tum temporis commorantis, beneficentiâ liberali erat excitatus. Inde ferebatur in personam illius oculo immoto, Sol aliarum Vrbium Roma; in qua iucundum reputauit hic Vir, intra Beatorum Sacros cineres Doctoratum Iuris Vtriusq; ambire, & ætatem suam vtilioribus pijs exercitijs quotidiè occupari. Postquam verò reuocauit mentem patrio Gymnasio adhærere, in quo scientiarum ambrosia lactatus fuit, vix puluerem itinerarium abrogauit: mox Amplissimum Capitulum Cracouiense, ingenij nobilitate perspecta; Cleri Diæcesani disciplinam, libenter ei commisit: cui fidelem operam nauans felices surculos, Vniuersæ Diæcesi Cracouiensi subministrauit. Tandem crescentibus laboribus, & annis

terdenis

terdenis & nouem ſuadentibus, Coronâ Cracouienſis Canonicatus, tempora eius permiſit adornari. Perſpexerat enim Venerabile Capitulum, fuiſſe collocatam ſummæ eruditionis Sedem in capite ipſius, & ideò congruum ducebat, boni Profeſſoris merita, bonis præmijs coronari. Si autem aliquis expreſsiùs eruditam eius Mineruam aſſequi cupit; reuocet in mentem ordinem diſpoſitiſsimum, ſimul cum elencho copioſo, nobiliſsimorum quorumuis in ſcientijs illuſtrioribus Authorum ac Interpretum: è quibus ceu apis florilega, ſuccum melleæ veritatis in aluearia, tam Eccleſiaſtica quàm Academica, libentiſsimè deportare ſolitus erat. Hinc namq; muniebatur præſidijs, ad elaboratam vim dicendi, quam in Eccleſijs & Profeſsionibus, (quibus veluti cõſultiſsimus Prometheus Caucaſeo monti applicatus fuit) pro dignitate & honore profitebatur. Non ille auream aut argenteam ſupellectilem, non elaborata domus ornamenta, procurabat; ſed his omnibus, diuitias ex ſapientiſsimorum virorum ingenijs collectas, præponebat & anteferebat. Didicerat quippe gloriam auro & argento acquiſitam, ſtultitiæ imaginem eſſe; & propterea veluti fumum & vmbram cadentem aſsis æſtimabat. Quid obſecro valet copioſum aurum? quid cumulatûm argentum? hæc namq; cum morte ad imperium alterius cedunt, & ſuorum aucupum obliuiſcuntur: at ingenij theſaurus, etiam multis ſæculis præterlabentibus, nuſquam à ſuo poſſeſſore, & per diram mortem abſtrahi poteſt. Voluebat ſæpiùs in mente hanc rerum mutabilem viciſsitudinem, quemadmodum ex huius viri infracto animo conijcere poſſumus. Cùm enim quodam

 tempore

tempore ipsi significaretur Præstimoniales aut potiùs villanas ædes, improuisa flammâ conflagrauisse: non ille excitauit furiales affectus, indagando cuius causâ, aut quomodò factum, sed quasi leues & minimè asperos rumores excipiens; constanter respondit: Non tantùm nostri reditus, sed nos ipsi in manibus Domini sumus. O dignam resignationem affectuum à natura nobis insitorum in manus Domini! cuius resignationis fortasse frequentiorem vsum habens, pectus suum ab affectibus durioribus custodiebat, seq; totum & sua omnia, Creatori offerebat, & sic gratissimus piarum virtutum odor, fata suprema accelerauit. Sed redeamus ad id, à quo paululum discessimus: nimirum ad considerationem eruditæ mentis, cuius vi postquam intellexisset Tremendum Sacrificium potissimùm linguis tribus constare; applicato corde simulq; ætate ad oneranda Altaria sacris votis, contulit ingenium, ad percipiendam partim Iudæam, parim Græcissam, partim Latiam interpretationem, quò magis promptior efficeretur, non tantùm ad mysteria Diuina ritè intelligenda, aut consiliorum Dei abdita populo diuulganda; sed etiam ad Legum varietatem, Iuriū difficultatem, Contractuum volubilitatem, Obligationum ratihabitionem, fructuosiùs Regni nostri accolis manifestandam. Testantur id Libri non contemnendi, quos nocturnis diurnisq; vigilijs, partim ardoribus æstuantis Planetæ, partim niuibus candentibus vltrà ætatis suæ commoditatem, pro Deo & Academia officiosè posteritati tradidit. Testatur Iuris vtriusq; peritia, ob quam ad Synodale administrandum munus Commissariale, à Magnis Viris erat deputatus. O si Parcæ in-

discretæ filamenta ætatis tuæ produxissent! Doctor Iuriû peritissime: Sacerdos amplissime: condecorares longiùs & Sedis Regiæ Custodem Cathedram, & Musarum Polonarum olympum: in quo, non vndena lustra & annos duos, sed centenos prætergressus, vberrimam messem tuorum laborum posteris legauisses, reliquisses. Sed quantula est grato animo & inexplicabili affectu, sumunt tui Amici, & Confratres, Collegæ: cùm verò per tempus illa ingenij & iudicij tui argumenta licebit intueri; exosculati ipsa, tibi sæculum incomputabile infinitæ æternitatis, comprecacabuntur. Quoties verò tuam vitam, tuum pectus, tuos oculos, tuam eruditionem, successores deprædicabunt; toties figent spicula cordibus tuorum sanguine coniunctissimorum; qui non tantùm in hac recenti ad superam Academiam promotione, sed dehinc postea, quando se destitutos audient Viro incomparabili; collachrymationibus tuam recordationem implebunt, & nunquam tui nominis mentionem absq; pijs suspirijs fieri patientur. Gloria enim tua durabit in Consultissimo Viro Artis Medicæ Professore, CHRISTOPHORO NAYMANOVICIO Germano carissimo; Manebit in Nepotibus, altero tui nominis, altero Parentis sui connominis, vtrisq; obligatissimis: ob illum affectum, quo eosdem semper & vbiq; prosecutus es. Habuissent profectò dignissimum Informatorem, si fortuna eos toruo aspectu, in orbitate Patroni singularis non infascinauisset. Neq; etiam obliterabitur tuus ille viuus candor, in pectore Consultissimi per Ius vtrumq; Viri, STANISLAI SPINEK; nec in Corona Vniuersitatis euanescet; sed virebit, vigebit, nusquam

per me-

per memoriam humanam intermoriturus. Condignum itaq; eſt Viri Humaniſsimi, vt talibus votis reſpondeant euentus. Promeruit enim virtus ipſius, integritas, eruditio, labor & ſedulitas, vt monumentis memoriæ perennibus interſeratur: & quod cardo communis Pietatis exigit, pijs ſacrificijs confirmetur, efficaciſsimis precibus ad Aras Diuorum perſolutis conſoletur. Si autem Spiritus eius certorum debitorum exſoluendorum causâ detinetur, ferte citi vota, accendite ſacros ignes, date preces, ſuffragamini animæ Confratris Veſtri: quùm ſoleat ad illum locum æternæ felicitatis, præoccupari tranſitus morâ diuturna, priuſquam ad minimum obellum fuerit perſolutū. Cæterùm alta ſpe concipiendum eſt, migrauiſſe illius animam ante conſpectum Rectoris Omnipotentis, eò duntaxat momento, quo à corporalibus exuuijs ſeceſsit. Ipſe enim dies, quo hic Vir ſummum diem attigit, partim celebritati D. Clementis; partim honori Virginis ac Matris Dei Sanctiſsimæ dicatus; erigit noſtram fidem: eum, continuò interpellantibus Angelis pacis, acceſsiſſe, ad Iudicē Clementiſsimum, qui omnes ipſius defectus, non ſtrictâ nec ſeuera Iuſtitiæ virgula, ſed clementi Miſericordiæ ineffabilis calculo, leuiter eſt diſsimulaturus. Quamobrem cōnumeratus cæleſtibus incolis, gratam ſuam teſtatur voluntatem hæc parentalia intuens; & Ampliſsimi Capituli Cracouieñ. Illuſtribus ac Reuerendis Patribus, amantiſſimis Confratribus; Almæ Vniuerſitatis diſtinctis Ordinibus; ad extremùm Amicis cariſsimis, & gratiſsimum & vltimum intonat Vale.